



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

3. Terra ardoribus exusta, Deo puniente.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

quæ comprehendit. Ita enim in magnatum aulis, quando ibi Domini cadauer depositum baiulos & sepulchrum expectat, parietes, scamna, mensæ, famuli, ipsi etiam currus & equi, tristi nigredine vestiuntur. Quanquam non lux & color tantum, sed & fertilitas, & pulchritudo ipsa terræ adimitur, si diuinus Iudex, terrenas, & cælestium inanes animas hoc elemento vult plectere. Siquidem circa Sodomam olim omnia mortua, & postea etiam ipsius terræ sanctæ amœnitas, & fecunditas, vnà cum templo & natione, euauit; vt tradunt probati authores: adeò vt balsamum soli Iudææ à Plinio attributum, nec nisi in Ierichuntinis viridarijs nasci solitum, in Ægyptum sit translatum, vbi non alia irrigatum aqua crescit, quam illius fontis, qui B. Virgini Mariæ, Filioque illius scaturijt exulanti.

Ne quis autem existimet, caligine tantum, aut luminis subductione, vel siccitate, ac sterilitate terras deformari, deformantur & igne, & motu, quando diuinâ irâ percussæ contremiscunt. Tamen si enim nihil aliud est in terra tremor, quam in nube tonitruum; nec hiatus aliud, quam cum fulmen erumpit, incluso spiritu luctante, & ad libertatem exire nitente: vtitur tamen natura Deus, & in perniciem impiorum frænos laxat elementis. Hinc illa: *Quia dies ultionis Domini, annus retributionis iudicij Sion, conuertentur torrentes eius in picem, & humus eius in sulphur: & erit terra eius in picem ardentem.* Quo pacto Vesuuus mons, teste Eusebio, Anno Christi 83. rupto vertice, tantam flammaram copiam euomuit, vt finitimæ regiones vrbesque, vnà cum hominibus, incensæ fuerint ac desertæ. Circa annum 1135. tantus in Gallia calor, tantæque siccitas extitit, vt terra ardere, & flammæ, cum ingenti populi terrore, emittere inciperet. Quod varijs in locis euenit, igne exustis à Deo, quando *ascendit fumus in ira eius, & ignis à facie eius exarsit: carbones succensi sunt ab eo.* Sic ignem igne compensat. Ardent homines auaritia, ira, odio, libidine: incendunt pauperum casas, innocentum domos, pagos, ciuitates, contra promissa, & fidem datam: hæc incendia, cur incendijs non puniantur? cum etiam, Politicis legibus, ad rogum damnentur, qui domum alterius malitiosè inflammauerunt.

Nec minus terrificum est, quod præcedit. *Commota est, & con-*

Plin. lib. 12.
Nat. hist. c. 24
Genebrard.
l. 2. chron. in
Tito, ex Paulo
louio l. 17.
hist.

III

Plin. lib. 2.
nat. hist. c. 79.

Isa. 34. 8.

Euseb. An. 83;
Vign. An. 82.

Palm. An.
1135.
Robert. An.
1137.
Plal. 17. 9.

IV